



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

2 vtrum sit peccatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

Philo. \* dicit in 4. Ethic. Similiter etiam contingit, qd aliquis excedat in dando, & ex hoc est prodigus, & simul cu hoc excedat in accipiendo, vel ex quadam necessitate, quia dum superabundat in dando, deficiunt ei propria bona, unde cogitur indebite acquirere, quod pertinet ad auaritiam, vel etiam propter animi inordinatorem. Dum enim non dat propter bonum quasi contempta virtute, non curat vnde dicitur, & qualitercumque accipiat. Et sic non secundum idem est prodigus, & auarus.

AD II. Dicendum, quod prodigalitas attenditur circa passiones pecuniarum, non sicut superabundans in eis, sed sicut deficiens.

AD III. Dicendum, quod prodigus non semper abutitur in dando propter voluptates circa quas est intemperantia, sed quandoque quidem ex eo, quod taliter disponitur, ut diuitias non curet; quandoque autem propter aliquid aliud. Ut frequentius tamen ad intemperantiam declinat, tum quia ex quo superflue expendunt in aliis, etiam in rebus voluptuosas expendere non verentur, ad quas magis inclinatur concupiscentia carnis: tum etiam quia non delectantur in bonis virtutum, quarunt sibi corporales delectationes. Et inde est, ut Philo. in \* 4. Ethicor. dicit, quod multi prodigorum sunt intemperati.

ARTICVLVS II.

Vtrum prodigalitas sit peccatum.

AD SECUNDVM sic proceditur. Videtur, quod prodigalitas non sit peccatum. Dicit enim Apосто. 1. ad Timoth. vltim. Radix omnium malorum est cupiditas, sed non est radix prodigalitat, quae ei opponitur, ergo prodigalitas non est peccatum.

¶ 2. Praet. Aposto. 1. ad Timoth. vltim. dicit. Diuitibus huius saeculi praecipue, facile tribuere, communicare, sed hoc maxime faciunt prodigi, ergo prodigalitas non est peccatum.

¶ 3. Praet. Ad prodigalitem pertinet superabundare in datione, & deficere in sollicitudine diuitiarum: sed hoc maxime conuenit viris perfectis imploribus, quod Dominus dicit in Matth. 6. Nolite solliciti esse in crastinum, & Matth. 10. Vende omnia quae habes, & da pauperibus, ergo prodigalitas non est peccatum.

SED CONTRA est, quod dicitur filius prodigus vituperatur de sua prodigalitate. Luc. 15.

Respon. Dicendum, quod sicut dicitur \* est, prodigalitas opponitur auaritia, secundum oppositionem superabundantiae, & defectus: medium autem virtutis per vtraque horum corrumpitur. Ex hoc autem est aliquid vitiosum & peccatum, quod corrumpit bonum virtutis, unde relinquatur, quod prodigalitas sit peccatum.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod illud verbum Aposto. li, quidam exponunt non de cupiditate actuali, sed de quadam habituali cupiditate, quae est concupiscentia fomitis, ex qua omnia peccata oriuntur. Alii vero dicunt, quod loquitur de cupiditate generali respectu cuiuscunque boni: & sic manifestum est, quod prodigalitas ex cupiditate oritur. Prodigus, n. aliquid bonum temporale cupit consequi inordinat, vel placere aliis, vel saltem satisfacere suae voluntati in dando: sed si quis recte consideret, Aposto. loquitur ibi ad litteram de cupiditate diuitiarum. Nam supra praemiserat, Qui volunt diuites fieri, &c. Et sic dicitur esse auaritia radix omnium malorum, non quia omnia mala semper ex auaritia oriuntur: sed quia nullum malum est, quod non interdum oriatur ex auaritia. Unde & prodigalitas quae ex auaritia nascitur: sicut cum aliquis prodige multa consumit intentione captandi fauorem

A aliquorum, a quibus diuitias accipiat.

AD I. dicendum, quod Aposto. monet diuites, ut facile tribuant, & coequent sua secundum quod oportet, quod non faciunt prodigi, quia ut Philo. \* dicit in 4. Ethic. dationes eorum non sunt bonae, neque boni gratia, neque secundum quod oportet: sed quandoque dant multa illis, quos oporteret pauperes esse, Chiftrionibus, & adulatoribus, bonis autem nihil dant.

AD III. Dicendum, quod superexcessus prodigalitat, non attenditur principaliter secundum quantitatem dati, sed magis in quantum excedit id quod fieri oportet. Unde quandoque liberalis maiora dat, quam prodigus, si necessarium sit. Sic ergo dicendum est, quod illi qui intentione sequendi Christum, omnia sua dant, & ab animo suo omnium temporalium sollicitudinem remouent, non sunt prodigi, sed perfecte liberales.

ARTICVLVS III.

Vtrum prodigalitas sit grauius peccatum quam auaritia.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod prodigalitas sit grauius peccatum, quam auaritia. Per auaritiam enim aliquis nocet proximo, cui bona sua non communicat: per prodigalitem autem quis sibi ipsi nocet. Dicit enim Philo. in \* 4. Ethic. quod corruptio diuitiarum, per quas homo uiuit, est quaedam ipsius esse perditio: grauius autem peccat qui sibi ipsi nocet, secundum illud Eccl. 14. Qui sibi nequam est, cui bonus erit? ergo prodigalitas est grauius peccatum, quam auaritia.

¶ 2. Praet. Inordinatio, quae prouenit cum aliqua conditione laudabili, minus est vitiosa: sed inordinatio auaritia, quandoque est cum aliqua laudabili conditione, ut patet in illis, qui nolunt sua expendere, ne cogantur aliena accipere: prodigalitem autem inordinatio prouenit cum conditione vituperabili. Unde & prodigalitem attribuimus intemperatis hominibus, ut Philo. dicit in \* 4. Ethicor. ergo prodigalitas est grauius peccatum quam auaritia.

¶ 3. Praet. Prudentia praecipua est inter morales virtutes, ut supra habitum \* est: sed prodigalitas magis opponitur prudentiae quam auaritia, dicitur. n. Prouerb. 21. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti, & imprudens homo dissipabit illud. & Philo. dicit in \* 4. Ethicor. quod insipientis est superabundanter dare, & non accipere. ergo prodigalitas est grauius peccatum quam auaritia.

SED CONTRA est, quod Philo. dicit \* in 4. Ethic. quod prodigus multum uidetur melior illiberali.

RESP. Dicendum, quod prodigalitas secundum se considerata minus peccatum est, quam auaritia, & hoc triplici ratione. Primo quidem, quia auaritia magis differt a uirtute opposita. Magis enim ad liberalem pertinet dare, in quo superabundat prodigus, quam accipere, vel retinere in quo superabundat auarus. Secundo, quia prodigus est multis utilis quibus dat, auarus autem nulli, sed nec sibi ipsi, ut dicitur in \* 4. Ethicor. Tertio, quia prodigalitas est facile sanabilis, & per hoc quod declinat ad aetatem senectutis, quae est contraria prodigalitati, & per hoc quod peruenit ad egestatem de facili, dum multa inutiliter consumit, & sic pauper factus non potest in dando superabundare: & etiam quia de facili perducitur ad uirtutem propter similitudinem quam habet ad ipsam: sed auarus non de facili sanatur ratione \* supradicta.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod differentia prodigi, & auari non attenditur secundum hoc, quod est peccatum in seipsum, & in alium. Nam prodigus peccat in Secunda Secundae S. Tho. NN 3 seip-

Lib. 4. cap. 1. post mediu tom. 5.

Supr. q. 197. art. 3. cor. & q. 118. arti. 5. ad 3. & ma. q. 13. arti. 2. ad 10. & 4. Ethic. lect. 4. per tot. & sed. 5. \* Lib. 4. ca. 1. circa princ. tom. 5.

Lib. 4. cap. 1. tomo 5.

Q. 56. arti. 1. ad 1. & 1. 2. q. 61. arti. 2. ad 1.

Lib. 4. cap. 1. tomo 5.

Lib. 4. cap. 1. post mediu tomo 5.

Lib. 4. cap. 1. a medio.

tom. 5. In isto artic. & q. praec. ar. 5. ad 3.